



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

De Bulla Cruciatæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

quod confessus est ; poterit Confessarius loqui de eodem cum pœnitente: quia iam pœnitens videretur licentiam dare Confessario Bonacina *tom. 1. disp. 5. quest. 6. punct. 4. num. 11.*

57. Agunt de hoc Sacramēto passim Theologi, & Casistæ. *Suar. 3. par. tom. 4. Filliuc. tom. 1. tract. 6. & sequent. Bonac. tom. 1. tract. de Sacram. disp. 5. Tolet. lib. 3. Fagund. de Ecclesia præcepto 2. Diana par. 3. tract. 4. & Alij.*

CIRCA BVLLAM Cruciatæ.

AD Sacramentum Pœnitentiæ conuenienter adnecti solet notitia de bulla Cruciatæ, & Iubileis : in his enim frequens esse solet vsus confessionis: & etiam multa priuilegia conceduntur pœnitentibus in ordine ad hoc Sacramentum. Quare more nostro aliqua magis necessaria, & communia afferemus: reliqua legi possunt apud Auctores citandos.

2. Bulla

2. Bulla est Diploma, seu Breue Põ-
tificium, in quo multæ gratiæ conce-
duantur dantibus certam eleemosynam
in subsidium belli contra infideles, &
hæreticos.

3. Per priuilegiũ Bullæ possunt pœ-
nitentes in aliquibus locis eligere sibi
Confessarium, approbatum ab Ordina-
rio, per quem absoluantur in foro con-
scientiæ ab omnibus peccatis, & censu-
ris quibuscunque, præmissa debita satis-
factione, vbi opus erit, excepto peccato
hæresis perfectæ, & externæ: & quidem
semel in vita infra annum, quo durat
prædictum Priuilegium, quando illis
placuerit, & semel in articulo mortis.

4. Cum hac tamen differentia, vt à
peccatis reseruatæ Summo Pontifici, et-
iam in Bulla Cœnæ de quibus infra; non
nisi semel in vita, & semel in morte, vt
dictum est: ab alijs autem quibuscum-
que peccatis, etiã reseruatæ Ordinatio,
possunt absolui toties, quoties: pro pec-
cato vero hæresis debent accedere ad
Inquisitores, vel alios habentes auctori-
tatem absoluendi ab illa.

5. Præterea si quis indigeret absolui
denuo

denno à casibus referuatis Summo Pontifici ; potest per aliam Bullam iterum absolui semel in vita, & semel in morte: non potest autem tertiam Bullam accipere in eodem anno.

6. In articulo mortis non potest absolui beneficio Bullæ ab hæresi, licet possit iure communi. Item in articulo eodem non potest vti beneficio Bullæ, nisi eligat Confessarium approbatum ab Ordinario: licet possit à tali Sacerdote non approbato absolui sine Priuilegio Bullæ. Vnde si absoluatur ab hæresi; tenetur postea, si conualuerit, adire legitimum Superiorem, ne incidat in eandem excommunicationem.

7. Non est necessaria formula illa absolutionis, quæ ponitur in ipsa Bulla, vt aliquis absoluatur beneficio Bullæ: sed sufficit absolutio ordinaria, cum intentione tamen absoluendi beneficio Bullæ, concedendo præterea Indulgentias Bullæ.

8. Non est necesse, vt pœnitens habeat Bullam secum, sed satis est, vt habeat domi: & si illam casu amitteret; probabile est, posse frui beneficio Bullæ;

si au-

si autem sponte proijceret ; non posset
frui.

9. Absque Bulla non potest quilibet
in talibus Regnis consequi ullam Indul-
gentiam , nisi expressè derogetur ipsi
Bullæ.

10. Si quis habens Bullam, in aliud
Regnum, vbi non est vsus Bullæ, profici-
scretur, non gauderet priuilegio Bullæ,
quoad carnes, & lacticia : si autem ali-
quis alterius Regni iret in Siciliam, v. g.
etiamsi esset discessurus, dum tamen i-
bi commoraretur, gauderet priuilegio
Bullæ.

11. Durat Bulla à die publicationis.
vsque ad diem sequentis publicationis
inclusiue.

12. Non potest quiuis vti Priuilegio
Bullæ, nisi postquam verè illam habeat,
nec sufficit propositum accipiendi.

13. Qui accipit Bullam creditò, seu dila-
ta solutione, potest frui eius priuilegijs,
etiamsi ex negligentia non soluat : solū
enim tenetur ad restitutionē talis debiti.

14. Non potest absolui per Bullam Pa-
ganismus, Iudaismus, vel totalis Aposta-
sia à Fide: hæc enim omnia continentur

Voca-

vocabulo hæresis: si tamen hæresis, & reliqua prædicta essent merè interna, id est nullo facto, aut signo sensibili explicata; non esset casus reseruatus, nec haberet adnexam excommunicationem: sicuti nec esset casus reseruatus in Bulla Cœnæ, si quis fictè, & simulatè negaret Fidem exterius tantum: quare posset etiam absolui in foro Sacramentali, licet Inquisitores possent contra illum procedere.

15. Per Bullam non potest absolui inuitus à censuris: quia non vult vti suo priuilegio. Superior tamen, qui potest ferre censuram; potest etiam absoluerè ab illa inuitum: quia cum hæc sit absolutio à pœna, non dependet à voluntate patientis, & sic potest tolli à Superiore: à peccatis verò nemo potest absolui inuitus: quia ad hanc absolutionem requiritur dispositio, & dolor, & voluntas pœnitentis, cum sit absolutio à culpa.

16. Absolutio à censuris, & commutatio votorum potest fieri à Confessario, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, virtute Bullæ.

17. Si

17. Si quis indigens privilegio Bullæ ob casus referuatos , inchoasset confessionem ante absolutum tempus privilegij Bullæ , sed non potuisset perficere confessionem , nec habere absolutionẽ; poterit absolui privilegio Bullæ , etiam post elapsum tale tempus: quia fuit iudicium inchoatum , & per accidens dilata absolutio.

18. Similiter si quis bona fide confessus fuerit omnia sua peccata , intendens absolui beneficio Bullæ; si oblitus fuerit inculpabiliter alicuius casus referuati , etiam si ab illo fuerit solum indirectè absolutus, tamen talis casus non est amplius referuatus: atque adeo , etiã elapso tempore Bullæ, poterit illud confiteri cuilibet Confessario approbato, & absolui directe ab illo.

19. Possunt beneficio Bullæ , non quidem dispensari, aut relaxari, sed commutari omnia vota, etiam iurata: exceptis tribus, nempe Castitatis perpetuæ, Religionis, & ultra maris ad Hierusalem (exclusis semper votis Religiosorum solemnibus , & votis simplicibus Societatis IESV.) In hac commutatione
illud

illud est necessario à Confessario seruandum, vt primo imponat pœnitenti, vt det aliquam eleemosynam in subsidium Cruciatæ, arbitrio ipsius Confessarij: hoc enim exigitur à Bulla ipsa: hæc vero eleemosyna reponi potest in capitulo huic fini, à Commissario Cruciatæ in certo aliquo Templo destinata: reliquum verò, quod necessarium esset ad commutationem; potest imponi iudicio ipsius Confessarij, vt libuerit.

20. Ad hanc commutationem non requiritur causa, sed sufficit Priuilegium Bullæ. Item illa tria vota reseruata, quæ recensuimus numero præcedenti, si non sint absoluta, sed pœnalia, aut conditionalia; probabile est non esse reseruata, sed posse commutari priuilegio Bullæ.

21. Si vota sint emissa in fauorem tertie personæ, quæ acceptauerit promissionem; non poterunt talia vota commutari ratione talis acceptationis, propter præiudicium iniustum tertie personæ: si autem promissio nullo modo sit acceptata; poterunt commutari.

22. Po-

22. Potest præterea pœnitens per propriam Bullam, quæ dicitur compositionis retinere sibi debita incerta, vsque ad summam 300. aureorũ, & 21. cum tarenis 8. & granis 6. aut æquivalentis accipiendo tot Bullas, quot sufficiunt ad ralem summam: ita vt pro vna Bulla retinent sibi duas vncias, & tarenos 17. cũ granis 4. in Regno Siciliae.

23. Quod si debitum hoc incertum excedat summam 300. aureorum; non poterit vti beneficio talis Bullæ, saltem quoad excessum; sed debet facere peculiarem compositionem cum Commissario Cruciatæ: quæ compositio poterit fieri secretò, & per tertiam personam.

24. Si verò talia debita incerta facta sint in confidentiam Bullæ; non poterit vti beneficio Bullæ ad illa: id enim caurum est in eadem Bulla: licet peccata commissa in confidentiam Bullæ possint absolui, quia de his nihil habetur in Bulla.

25. Si alicui post acceptas Bullas compositionis innotescat suus debitor; tenetur restituere, subtractis expensis Bullæ, reliquum, quod habet, vel totũ;
quod

quod si omnia, bona fide consumpserit ad nihil tenetur.

26. Potest etiam pœnitens, beneficio Bullæ, vesci lacticiuijs in diebus ieiunij, (exceptis Sacerdotibus, & alijs Prælatiſ ante ſexageſimum annum pro ieiunijſ Quadrageſimæ) & quidem ad libitum, & ſine alia cauſſa, ſiue ieiunet ſiue non ieiunet: & quamuis Bulla videatur dicere, quòd poſſit vti lacticiuijs ſeruata forma ieiunijſ; tamen hoc nõ dicit ad excludendum, quòd ſi non ieiunet non poſſit illis vti, ſed potius ad ampliandum, vt quamuis ieiunet, poſſit illis vti & ſeruare ieiunium.

27. Pro Sacerdotibus, & alijs Prælatiſ conceditur peculiaris Bulla ad veſcendum lacticiuijs in Quadrageſima.

28. Qui vouit ieiuniũ poſt comedere lacticia cum Bulla, vt in alijs ieiunijſ: niſi ipſe aliter ſenſerit in ſuo voto.

29. Sunt etiam alia Præuilegia Bullæ quoad Indulgentias, & tempore Interdicti, & multæ aliæ cõpoſitiones, vt patet in ipſa Bulla. Agũt de hac materia Emanuel Rodriquez in *Expoſ. Bullæ Dianæ* par. 1. tract. 11. Ludou. à Cruce diſp. de Bulla & Alij

& Alij paulo post citandi ex occasione Iubilei.

DE IUBILEIS.

I Post Bullam subdi potest aliquid de Iubileo, quod est veluti quædam Bulla quindecim fere dierum. Solent enim Summi Pontifices, propter publicas necessitates, ad excitandam fidelium deuotionem, concedere indulgentiam plenissimam, qualis concedi solet anno Iubilei, sub quibusdam cõditionibus, quæ solent esse, Ieiunium, elemosyna, Ecclesiarum visitatio cum oratione, Confessio, & Communio: & conceduntur similia ferè priuilegia, vt in Bulla, nempe absolutio à reseruatis per quemcumque Confessarium approbatum ab Ordinario loci, commutatio item votorum. Qua in re primò, & maximè aduertenda sunt verba, & clausulæ, quæ ponuntur in Breui Apostolico, & iuxta hæc soluantur difficultates, & diriguntur pœnitentes, & multa sunt pror-

E

sus